Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2717
Quelle:
Copyright:

cunque idiota. ut dum Sequentia domni Notgeri ſicut maioris ſanctitate et ſcientia cantatur in Aſſumptione ſancte Marie. ſequentiola peccatoris Godeſſcalci *ſicut minoris omnimodo cantetur ab his qui dignantur in octava Aſſumptionis Domine noſtre. Qui vero dedignatur cantare. non debet eam uituperare* &c.

II. et quidem *fol.* 12. p. 2. ſequitur: *Sermo de Sanctis Martyribus Hereneo* (Irenaeo) *et Abundio*, qui incipit: *Hodierna Feſtiuitate Sanctorum Martyrum Herenei et Abundii cupientes aliquid loqui ad honorem domini noſtri ihesu chriſti, cuius teſtes ſunt ipſi* &c. Paullo poſt eorum Confeſſio ſic traditur: *Dominus nempe lucratus eſt per laurentium ypolitum. per ypolitum nutricem ſuam concordiam. et per concordiam hereneum. per hereneum Abundium. Hereneus namque cum audiſſet ſancte concordię corpus in cloaca eſſe abſconditum. aduocauit ſibi uirum chriſtianum nomine et merito Abundium. et tulerunt de cloaca beatę concordię corpus ſanctum. Pro quo facto iuſſu Valeriani* (Imp.) *in cloaca ſunt ambo necati.* Concludit Orator: *Qui enim non ambulat in uia ſanctorum. non intrabit in regnum. quo ducit uia ſanctorum. Quod ut nos intrare mereamur. per hos ſanctos precipue per Abundium cuius Corpus in* monaſterio lintburgenſi *Nos ibidem tenemus famulantes adiuuemur* &c. Monaſterium lintburgenſe (*Lindburh*, *Lintpurg*, *Limburg* &c.) in Comitatu Leiningano Dioeceſeos Spirenſis a Conrado II. Imp. anno 1033. Ordini S. B. fundatum fuit, ut paſſim tradunt Scriptores Rer. Germ. Codicis noſtri *Fol.* 1. p. 2. antiqua manus adſcripſit: *Rupertus abbas cenoby lympurgenſis in dyoceſi ſpirenſi nacione teutonicus ex ſtudio pariſienſi ad lympurg uenit vir vita et conuerſacione inſignis eciam diuinis reuelacionibus meruit Plura ſcripſit In Cantica canticorum libros IIII. De contemptu mundi. Reuelacionum ſuarum De ſ. Johanne Baptiſta l. I. plures ſermones Ex quibus et ſubſequentes creduntur de reliquys eiusdem eccleſie lympurgenſis Claruit ſub henrico Imperatore Quinto Anno domini* XI^{co} i. e. MC. *Trithemius*, qui de *Ruperto* eadem teſtatur in *Script. Eccl.* ſubdit: *Scripſit quosdam Sermones de ſanctis, quorum corpora vel patrocinia in eodem Lymburgenſi monaſterio habebantur.* Itaque facile adducor, ut *Rupertum* et hujus et ſequentis de eodem Themate Sermonis autorem credam, ita tamen, ut ſequentem nondum Abbas compoſuerit.

III. Inſcribitur vero hic Sermo *De Sanctis Martyribus Hereneo et Habundio*, incipitque: *Quanta deuotione ſancti quorum reliquias poſſidemus in eccleſia cui ſpecialiter attitulati ſumus a nobis ſint honorandi* &c. Inter orandum ait ad Monachos, quos *Fratres* et *Dominos* adpellat: *Inter quos ſanctos veſtros ſpeciales. beatum Habundium cuius corpus integrum excepto capite in eccleſia ueſtra poſſidetis ſpeciali deuotione percolitis.* Ait item: Sermonem ſuum ſcri-